

Judaeis et gentibus in unam suam Ecclesiam colligendum; iam non consecratas decimas ut in lege, sed omnia, quae sunt ipsorum, ad dominicos usus decernere velle, hilariter et libere dare, non quae sunt minora, ut vidua, quae duo aera minuta obtulit,<sup>297</sup> sed quae potiora, ut Abel etc. ut vel caecus videre possit Irenaeum de oblationibus donorum et munerum (quibus inquit non indiget Deus), non de oblatione Christi vel oblatione corporis et sanguinis Christi vel cruenta vel incruenta Malachiae locum interpretari.

[147:] Porro, quare „Sacrificium purum“ vocat Propheta non dissimulat Irenaeus, sed causam ostendit, fidem et conscientiam offerentium. Diserte enim ait sacrificia ecclesiae non sanctificare hominem, sed conscientiam offerentis sanctificari, ideoque purum hoc Ecclesiae sacrificium haberi, quia offeratur Deo sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione feruenti, cum gratiarum actione etc. Hoc intellexit Irenaeus ex propheta Malachia, non opinionem illam, in cuius confirmationem liber Interim citat Irenaeum.<sup>298</sup>

Tertullianus lib. 3. contra Marcionem exponit locum Prophetiae de praedicatione gloriae Dei, item laudis et gratiarum actionis, quam vocat oblationem mundam, opponens eam pecuniis oblationibus, quae fiebant in lege, cum haec esset in Spiritu Dei futura seu spontanea.<sup>299</sup>

In alio loco (Lib.4. contra Marcionem) mundam oblationem exponit simplicem orationem et puram vel iustam conscientiam, ut non dissentiat ab Irenaeo, neque Irenaeus a Tertulliano. Sed uterque dissentit a libro Interim in expositione loci Malachiae.<sup>300</sup>

[148:] Hieronymus super Malachiae I. exponit oblationem mundam thymama, id est Sanctorum orationes Domino offerendas, iam non in una orbis prouincia Iudaea, sed in omni loco, quam oblationem in Christi aduentu complendam alibi (super Ezech. XXI.) dicit.<sup>301</sup>

In Summa, neque Augustinus (de ciuitate Dei lib.18. cap.35.)<sup>302</sup> si recte intelligatur, neque ullus ex Patribus opinioni, quam liber Interim loco Malachiae falso adscribit, patrocinator.

VIII. Octauo. Quod adducit figuram Melchisedech ex Augustino (qui tamen dicit figuram nihil probare) et ex aliis, pro sua opinione de sacrificio incruento, textus hebraeus in eo loco facile confutabit, ubi non *obtulit*, sed *attulit* (**אָנָה** *exportari fecit seu curauit, attulit, protulit*) reddatur, et non Deo sed mortali homini Abrahae, nec uni Abrahae sed omnibus ejus seruis Melchisedech panem et vinum, id est vitae necessaria attulisse textus conuincit, quodque vis figurae non consistit in oblatione panis et vini, sed in

<sup>297</sup> Lk 21,2.

<sup>298</sup> Vgl. Augsburger Interim XXII, 115.

<sup>299</sup> Vgl. Tertullian, Adversus Marcionem III, in: PL 2, 321–358 (CChr.SL 1, 509–544).

<sup>300</sup> Vgl. Tertullian, Adversus Marcionem IV, in: PL 2, 361–468 (CChr.SL 1, 544–663).

<sup>301</sup> Vgl. Hieronymus, In Hiezechielem VII, XXI,25–27 (CChr.SL 75, 291).

<sup>302</sup> Augustinus, De ciuitate Dei XVIII, 35, in: PL 41, 593–596 (CChr.SL 48, 628–631).